



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

Fargna, Francesco de

Romæ, MDCCXVIII

Casus V. Argumentum. Competente Jurepatronatus Parocho, &
Parochianis, præsentatus à Parocho, & à nonnullis Parochianis, an dicatur
præsentatus à majori parte Patronorum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72203)

Uterius connumeranda est vox Josephi Vicedomini de Morbino, cui licet obijciatur, quod non sit caput familiae, tollitur tamen obiectum ex facto divisionis sequutæ de anno 1688., & ideo pro capite, & patre familias reputari debet, & recipi ad votum ferendum, prout etiam videtur adscribenda vox Joannis Fontanæ, qui tamquam legitimè impeditus potuit per schedulam ritè nominare, & denique augenda sunt infallibiliter voces Matthæi Mariani, & Ambrosii Casalis, quorum jus non controversum, licet elidi velit sub obtutu, quod illorum vota fuerint extorta per minas, quippe cum de hoc non doceatur nisi per simplices, & informes probationes, utique in facti thesi, qua magis rigorosa, & stricta requiruntur documenta, exceptiones hujusmodi non possunt juvare; Taliterque hisce omnibus vocibus, absque dubio Castello adscribendis, constituentibus pluralitatem, merito illis superaddita exitit vox Grierii, qui explicitè protestatus fuit concurrere velle cum pluralitate, sive cum majori numero.

Ex his omnibus ad evidentiam confitto, numerum suffragantium pro Castello esse longè majorem, authamarunt Domini tale quid satis esse ad convincendam justitiam sententiæ Rotalis confirmantis institutionem Castello delatam, absque eo quod opus sit inquirere suffragia lata pro Delphino, quibus tamen ad exuberantiam etiam rimatis, eò magis clarum apparuit jus Castellum; Quoniam Domini ex quadraginta sex demendas esse existimarunt voces Canonici Malaguzini, ac Damiani Ronconi, quorum votum, tanquam sine ullo mandato in Consilio exhibitum, non videtur admittendum, non refragante succedanea ratificatione, quia tanquam lata extra Consilium nullius remansit efficaciam, ut firmatum fuit in antecedentibus decisionibus, ac propterea semper subsistere majoritatem vocum pro Castello, & consecutivè institutionem ejus favore demandatam.

Et ita in reliquis approbando ea omnia deducta in antecedentibus decisionibus coram R. P. D. meo Falconerio, & ad eam sese remissivè habendo Domini responderunt. Vtraque parte acerrimè informantur.

ARGUMENTUM.

Competente Jurepatronatus Parocho, & Parochianis, præsentatus à Parocho, & à nonnullis Parochianis, An dicatur præsentatus à majori parte Patronorum?

SUMMARIUM.

- 1 Juspatronatus reservatum Parocho, & Parochianis, pro medietate spectat ad Parochum, & pro alia medietate ad Parochianos; sed limita, ut num. 2.
- 3 Refertur sententia Hostiensis, & Gonzalez.
- 4 Qui non est presentatus ab omnibus Parochianis, An dicatur habere integram medietatem juris patronatus ad eos spectantem?
- 5 Presentatus à Parocho, & à nonnullis Parochianis non dicitur presentatus à majori parte Patronorum, sed esse in paritate vocum cum presentato à ceteris Parochianis. Limita, ut num. 12.
- 6 Electus ab Episcopo, & à nonnullis Capitularibus non dicitur electus à majori parte, respectu electi à ceteris Capitularibus.
- 7 Presentatus ab una familia, cui competat una medietas, & à nonnullis alterius familiae, cui competat altera medietas juris patronatus, non dicitur esse presentatus à majori parte, sed esse in paritate vocum cum ceteris alterius familiae.
- 8 Minor pars unius vocis, qua adheret alteri voci, hanc non impinguat, nec auget.
- 9 Major pars suffocat, & attrahit ad se minorem.
- 10 Juspatronatus relictum Parochianis censetur relictum uti singulis, non uti universis, ex juris præsumptione.
- 11 Juspatronatus si ex observantia competat Parochianis uti universis, presentatio est ab eis faciendæ collegialiter, & aliter facta est nulla.

CASUS V.

Reservato Jurepatronatus à Fundatore in limine foundationis Parocho, & Parochianis Loci A. Parochus, & quatuor ex Parochianis in successiva vacatione Beneficii præsentarunt Titium; Alii ve-

rò

rò Parochiani in numero sexaginta præsentarunt Cajum . Quæritur , An Titius præsentatus à Parocho, & ab istis quatuor Parochianis dicatur præsentatus à majori parte Patronorum ad effectum assequendi institutionem ab Ordinario vigore dispositionis præsentis *Canonis* .

- 1 Certum est, quòd hujusmodi Juspatronatus reservatum Parocho , & Parochianis pro medietate spectat ad Parochum , & pro alia medietate ad Parochianos uti universos, & per modum unius Collegii , & Universalitatis, dum quando plures vocantur sub nomine colectivo, & alius sub nomine proprio ; Vocati sub nomine colectivo, censentur vocati pro æquali portione cum vocato sub nomine proprio *l. si quis Titio, & heredibus ff. de usufruct. accrescen. Gonzal. in hoc cap. quoniam de jurepatr. Gonzal. super regul. 8. Cancell. glos. 3. n. 17. Card. de Luca de jurepat. disc. 34. n. 3. Barbof. vot. decis. 121. lib. 3. nu. 1. & seqq. Rota apud Crescent. decis. 4. de jurepat. & decis. 408. n. 1. & decis. 730. par. 1. divers.* Cùm non concurrant hic observantia, & conjecturæ contrariam voluntatem Fundatoris suadentes. Etenim si concurreret observantia in contrarium, nimirum, si Parochiani uti singuli cum ipso Parocho semper præsentassent, & unusquisque pro sua æquali voce ; aut si Fundator relinquendo Juspatronatus Parocho , & Parochianis tacitè, vel expressè voluerit ad illos spectare collegialiter, & per modum unius Collegii Personarum, cujus caput sit Parochus, membra verò Parochiani, tunc etiam si Parochus sit vocatus sub nomine proprio, & Parochiani sint vocati sub nomine colectivo, non proinde censentur constituti duo distincti Patroni pro medietate, ita quod medietas Juspatronatus spectet ad Parochum, & alia medietas ad Parochianos collectivè vocatos. *Dec. conf. 122. nu. 2. Card. de Luca de jurepat. disc. 34. n. 4. Rota in Cremonen. Beneficii 9. Martii 1714. S. Extranea coram R. P. D. Lancetta, & 4. Februarii 1715. S. Idque mirificè coram R. P. D. Cerro, & plenè in Lucana Cappellania 2. Martii 1716. per tot. & signanter S. Efficacia cum sequentib. coram R. P. D. Crispo.*

- 3 Hoc posito. Dicendum videtur in hoc casu Titium esse præsentatum à majori

parte Patronorum, ac instituendum esse ab Ordinario in Beneficio vacante ad exclusionem Caji præsentati à cæteris Parochianis. Vox enim Parochi constituens medietatem Juspatronatus, & colligans in personam Titii, impinguata remanet à quatuor suffragiis quatuor Parochianorum, qui adhæserunt Parocho, itaut Titius non solum dicitur habere integram medietatem spectantem ad Parochum, verum etiam partem alterius medietatis spectantis ad Parochianos, & sic dicitur præsentatus à majori parte Patronorum, & præferendus venit Cajo præsentato à cæteris Parochianis, ut docere videtur *Hostien. in rubric. de concess. præben. num. 3. propè finem ibi-- Si verò invenias, quòd ipse solus (scilicet Episcopus) habito consensu unius Canonici, vel duorum, vinceret omnes alios, tunc habet vocem tamquam Prælatus, sic fuit in Ecclesia Antipolitana, antequam esset Sedes translata apud Grassum, quia D. Bertrandus de Aquis, qui tunc præsidebat, ex quo habebat consensum unius, vel duorum Canonice in omnibus obtinebat -- Et expressè tuetur Gonzal. in hoc cap. Quoniam n. 2. in fine ibi-- quare si Rectori accedat unus ex Parochianis, ab eis præsentatus præfertur præsentato ab omnibus Parochianis.*

- 4 Ratio autem videtur esse, quia Cajus cùm non sit præsentatus ab omnibus Parochianis, non dicitur habere integram medietatem Juspatronatus spectantem ad Parochianos, sed esse in disparitate vocis, ac in inferiori conditione constitutus cum Titio præsentato à Parocho, & à quatuor ex dictis Parochianis, ad effectum enim, ut quis dicatur habere integram medietatem Juspatronatus Parochianorum requiritur, quòd in eo concurrant eorum omnium suffragia, juxta sententiam *Seraphini in Clement. Plures de jurepat. relat. à Lambertin. de jurepat. lib. 1. par. 2. quæst. 1. art. 27. num. 1. vers. & primam.*

- 5 Verum opinionem hanc Gonzalez censo insubsistentem, & contrariam sententiam magis veritati consonam ; Quoniam Cajus cùm habeat pro se majorem partem Parochianorum, qui eum præsentarunt, dicitur habere integram medietatem Juspatronatus ad eos spectantem, & sic esse in paritate vocum cum Titio præsentato

tato

tato à Parocho habente aliam medietatem Jurispatronatus, itaut inter ipsos sit locus gratificationi, ut dicam infra in *Can. IX. X. & XI. Rocc. de Curt. de jurepat. in verbo ipse, vel is sub num. 7. Angel. de impens. opusc. 3. pag. mibi 335. num. 11. Rota decis. 519. n. 4. coram Cavaler. & decis. 424. n. 3. cum seqq. par. 18. tom. 2. rec., & nullatenus Titius dici potest presentatus à majori parte Patronorum, non obstante, quòd una cum voce Parochi habeat quatuor suffragia, quatuor ex Parochianis, quibus jure Collegii competit altera medietas Jurispatronatus.*

6 Quòd comprobatur paritate. Si Episcopus in electione ad Canonicatum habeat votum æquale voto totius Capituli, & ipsi eligenti ad Canonicatum adhaereant nonnulli Capitulares, non proinde electus ab Episcopo, & ab istis paucis Capitularibus diceretur electus à majori parte respectu electi à cæteris Capitularibus, ut rejecta opinione *Hofstiensis ubi supra* firmant *Card. de Luca de Benefic. discurs. 30. n. 8. Carol. Anton. de Luca ad Venetrigl. par. 2. annot. 2. §. 1. n. 3. Lotter. de re benef. lib. 1. q. 15. nu. 36.* Si Juspatronatus resideat penès unam familiam pro medietate, & pro alia medietate penès aliam familiam, & una familia presentaret. E.g. B., & altera divisa in octo voces, quarum duæ adhaererent dicto B. presentato ab alia familia, non ex hoc diceretur B. presentatus à majori parte, sed esse in paritate vocum. *Angel. de impens. d. opuscul. 3. pag. 334. n. 10. Rota decis. 519. nu. 2. coram Cavaler. & decis. 153. n. 4. par. 18. tom. 1. recent.* Ergo etiam in casu presentati Titius presentatus à Parocho habente medietatem Jurispatronatus, & à quatuor ex sexaginta quatuor Parochianis habentibus aliam medietatem, dici non potest presentatus à majori parte Patronorum, sed esse in paritate vocum cum Cajo presentato à sexaginta Parochianis.

8 Ratio est, quia illa quatuor suffragia eorum quatuor Parochianorum, qui se segregarunt à cæteris Parochianis, & adhaeserunt Parocho, non impinguant, nec augent vocem Parochi, nec ei aliquid addunt, sed abortiva, suffocata, & attracta remanserunt ab aliis Parochianis, juxta naturam majoris partis alienjus Universitatis, aut Collegii, quæ est suffocare, &

Pars II.

attrahere ad se minorem. *Abb. in cap. Pustulastis de concess. præben. num. 14., & expressè docent Lambertin. de jurepat. lib. 1. par. 2. q. 1. art. 27. n. 2. versic. non omitam, Card. de Luca de jurepat. disc. 32. num. 6. & 7., & de Benefic. disc. 30. n. 9. Lotter. de re benefic. lib. 2. q. 11. n. 136. Rota decis. 21. n. 1. & dec. 436. n. 1. coram Cavaler. & in Aprutina Parochialis 15. Januarii 1703. §. Non obstante coram Eminentiss. Priolo inferiùs legen.*

Multoque magis hujusmodi quatuor suffragia, quæ adhæserunt Parocho, nullatenus adaugere possent vocem Parochi, & tribuere Titio aliquod jus ad effectum, ut dicatur presentatus à majori parte Patronorum, si ipsi quatuor Parochiani non collegialiter, sed singulariter, & separatim, & in locis diversis devenissent ad actum presentationis unitim cum Parocho. Etenim licet ex juris presumptione Parochiani separatim, & uti singuli presentare possint, eo quia cum sint homines particulares, & non habentes ullam notam Universitatis, vel Collegii, jus presentandi censeretur eis concessum uti singulis, non uti universis, *Abb. conf. 76. n. 1. lib. 2. Calderin. de jurepat. conf. 9. n. 1. & 2. de jurepat. Lambertin. de jurepat. par. 2. lib. 2. q. 2. art. 9. nu. 15. Barbos. vot. decis. 125. nu. 23. lib. 2. Rota in Hippogregien. Parochialis 21. Junii 1700. §. In hypothese coram Reverendis. Molines Deca-*
 11 no. Tamen in casu presentati, ubi concurrat consuetudo, & observantia explendi presentationem ab omnibus præfatis Parochianis jure Collegii, illi quatuor Parochiani debebant presentationem exarare cum aliis 60. Parochianis per scrutinium uti universis, & non poterunt absque vicio nullitatis presentare separatim, & consequenter eorum presentationes, & suffragia tanquam nulla, & irrita computari non possent, & in nulla consideratione haberi mererentur, nec vocem Parochi augere, & impinguare valerent, juxta *Abb. in cap. scriptum num. 6. in fine de elect. Felin. in cap. Pastoralis num. 9. versic. duo corpora de rescript. Lambertin. de jurepat. par. 2. lib. 2. q. 2. art. 9. nu. 2. Vivian. eodem tract. lib. 8. cap. 3. n. 15. & alios, quos refert, & sequitur Rota in Bononien. Parochialis 26. Januarii 1711. §. Verùm coram R. P. D. Caffarello.*

R

Cæ-

12 Cæterum si ex observantia, vel ex expressa, aut tacita mente Fundatoris, Juspatronatus non competeret pro medietate Parocho, nec pro medietate Parochianis uti universis per modum unius Collegii, tunc Titius, & Cajus præfati non dicerentur esse in paritate vocum, sed Cajus diceretur præsentatus à majori parte Patronorum, cum haberet pro se 60. suffragia Parochianorum, Titius verò solum quinque suffragia, nimirum Parochi, & quatuor Parochianorum, ac proinde præfatus Cajus esset in hoc casu instituendus, juxta dispositionem præsentis Canonis, & Doctores in Commentario relatos.

R. P. D. P R I O L O.

Aprutina Parochialis.

Lunæ 15. Januarii 1703.

IN vacatione Parochialis sequuta per obitum Martini, Episcopus ad illam præsentavit pro sua voce Sabbatinum, & pro alia fuit à Patronis Laicis præsentatus Carminus; Cumque iste literas Apostolicas obtinuisset cum derogatione medietatis vocum, illarum executionem reportavit in partibus; & prosequuta deinde Causa coram me in gradu appellationis, dubitatum fuit, An intraret arbitrium pro earundem literarum retardatione, & comperta illarum verificatione favore Carmini tunc informantis, prodiit negativa resolutio, & hodie DD. non obstantibus iis, quæ in contrarium adducebantur à Scribentibus pro Sabbatino, approbando resoluta, steterunt in decisis.

Valor quippe Parochialis narratus inducatis 24. auri de Camera justificatus remanet ex Testibus, & ex fide Subcollectoris datis pro parte Carmini; Cumque agatur de narrativa per non excessum, tales justificationes exuberare videntur, quia ad istum effectum sufficit etiam semiplena probatio, per ea, quæ tradunt *Card. de Luca de benef. disc. 90. n. 18.*, & *Rof. de execut. lit. Apost. par. 1. cap. 7. nu. 142. cum seqq.*

Nec pro augmento valoris attendi merentur duo Testes in contrarium dati; nam prætermisso, quòd illorum attestatio est extrajudicialis, & pendente lite emanata, adhuc tamen inter fructus cer-

tos Parochialis numerant oblationes, quartam funeralem, & alia emolumenta, quæ exegit tamquam Cappellanus Confraternitatis S. Annæ; Cum enim ista percipiat non quidem ratione Ecclesiæ, sed potius contemplatione particularis servitii, quod præstat in munere Cappellani illius Confraternitatis, augere proinde non debent valorem Parochialis, ad tradita per *Perez de Annivers. & Cappell. lib. 2. cap. 1. n. 35. & seqq. Castropal. oper. moral. par. 2. tract. 13. disput. 2. punct. 26. sub n. 27. vers. nihilominus, Rota coram Bichio decis. 255. nu. 21. & in rec. decis. 120. n. 19. par. 19.*

17 Sicuti ex his verificatus remansit valor Parochialis, ita facilius quoque justificata fuit narrativa quoad substantiam Beneficii; nam quòd illud sit de Jurepatronatus, & pro medietate spectet ad Episcopum, & pro alia ad diversos Patronos Laicos, non ambigebatur inter Partes; Cumque Carminus fuerit præsentatus ab universo cœtu Patronorum, in quo juxta ultimos status radicata fuit alia medietas juris præsentandi, postquam iste obtinuit derogationem alterius medietatis, haberi debet perinde ac si fuisset ab omnibus præsentatus; nam satis est, quòd præsentatio facta fuerit à descendentibus eorum, qui attento ultimo statu fuerunt in quasi possessione præsentandi, ut gratia pro Præsentato dicatur plenissimè justificata, *Rot. coram Dumoz. decis. 344. num. 4. & seqq. & in rec. decis. 73. num. 12. pariter cum seqq. par. 11. & in Isclana Beneficii 6. Martii 1696. §. Contra verò coram R. P. D. Tremolle.*

Non obstante, quòd radicato jure præsentandi in octo stipitibus diversarum familiarum, unus de familia Pistilla, & alius de familia de Deo, concurrendo cum Episcopo adhæserint illius præsentationi, ideoque dici non potest, quòd Carminus habuerit integram medietatem, dum pro se numerare non valet integras voces istorum stipitum; nam responsum fuit in decisione, quæ revidetur, quòd computatis omnibus suffragiis Patronorum Laicorum compertum fuit, quòd exceptis his duobus (quorum tamen voces suas patiuntur difficultates) unanimiter omnes alii fecerunt præsentationem favore Carmini, unde isti habere dicitur integram

18 gram illorum medietatem; quia in hac materia major pars suffocat, & absorbet minorem, ut sequendo magistralem theoricam *Lapi in Clement. Plures de jurepatr. firmant præter allegatos in decis. Rot. coram Cassador. decis. 2. de jurepatr. Cavaler. decis. 519. per tot. Duran. decis. 198. nu. 8. & decis. 230. num. 2. & coram Duno. jun. decis. 956. n. 4.*

19 Ad evertendam tamen responsonem datam in decisione replicabant Scribentes in contrarium, quod nempe doctrina *Lapi*, & auctoritates superius relatæ procedunt quando plures Patroni constituendo unicum corpus, & efformando quamdam speciem Universitatis præsentant per modum unius, quia tunc integralitas vocis, quæ consistit in illo corpore, scindi non potest in plures quotas, & ut conservetur in sua integralitate necesse est, ut major pars præjudicet minori, secus tamen est, quando Patronatus existere reperitur apud plures, & diversas familias, ex diversis, & disparatis stipitibus provenientes, quia tunc unusquisque dicitur habere suam vocem, ideoque una non suffocatur ab altera, & nisi in Præsentato concurrant omnium Patronorum suffragia, non dicitur habere integram vocem, ut explicando tradit *Gürz. de benef. par. 5. cap. 9. nu. 225. Card. de Luca de jurep. disc. 147. n. 6. cum seqq. & Rot. coram Pen. decis. 32. n. 11. & in rec. decis. 667. n. 7. vers. neque in hoc par. 18. & in isto casu versari contendebant Defensores Sabbatini, quia medietas controversi Patronatus pertinet ad familias omnino diversas, & separatas, ut præferebat Arbor exhibita ab ipsomet Carmino, & quando vacationes evenerunt, nulla facta convocatione Patronorum, unusquisque separatim præsentavit proprio jure singulari.*

20 Verum hæc replicatio, super qua tota erat defensio Sabbatini, cessare visa est ex facto; nam quidquid sit, an istæ octo familiæ, quæ modò sunt in quasi possessione præsentandi procedant ab unico stipite, quamvis attenda identitate cognominis, & parentelæ, quoad quatuor columnellos, non leve desumi possit argumentum, quod reliquæ omnes proveniant ab unico Patrono, & ab unico, eodemque stipite, ut advertit *Card. de Luc. de præm. disc. 32. nu. 17. & de fideic. disc. Pars II.*

50. n. 14. certum tamen est, quòd in vacationibus sequutis de annis 1633. 1651. & 1676. apparet præsentationes fuisse expletas pro una medietate ab Episcopo, & pro alia à Compatronis Laicis in stirpes, & non in capita. Cùmque nullibi doceatur Compatronos separatim devenisse ad actum nominationis, dicendum est, quòd ad ipsos colectivo nomine spectat medietas dicti Jurepatronatus; nam in tanto temporis decursu, & in tanta actuum multiplicitate, si nominationes factæ fuissent singulari nominatione Patronorum, darentur illorum singulares præsentationes; unde si Episcopus in actu institutionis toties enunciavit, Jurepatronatus spectare pro una medietate ad se ipsum, ratione Episcopatus, & nulla facta specificatione quoad personas particulares Compatronorum, eorumque quotas, uncias, & portiones generaliter falsus fuit pro alia medietate ad ipsos spectare, hæc generalis, & collectiva expressio clarè demonstrat, Patronos Laicos unitim semper, & in solidum præsentavisse non uti singulos, sed tamquam universos, & per modum collectionis plurium personarum unum, & eundem stipitem repræsentantes, ut tradunt *Abb. in cap. scriptum nu. 6. de elect. ibique Imol. num. pariter 6. vers. nota, Felin. in cap. Pastoralis n. 9. vers. adde etiam de rescript. Lambert. de jurepatr. 2. par. primi lib. prima quæst. art. 25. num. 18. & Rota in Florentina de Ricafolis impress. apud Vivian. de jurepatr. par. 1. lib. 4. cap. 1. n. 71. §. Non obstat, & in ejus confirmatoria, quæ habetur ibidem §. Præterea, & in recent. decis. 237. n. 2. par. 13.*

Ex hac observantia elicitur ab ultimis statibus, & cum qua etiam justificatur methodus præsentandi, remanet quoque sublata consuetudo, quæ dicitur vigere 21 Neapoli, dividendi nempe Jurepatronatus in uncias. Nam prætermisso, quòd illa locum sibi non vindicat, nisi in sola Civitate Neapolis, nec extenditur ad cæteras Regni partes; ut ex *Gofred. & Jo. Andrea* probat *Lambert. de jurepatron. par. 2. lib. 1. q. 2. art. 36. n. 3. & q. 1. art. 24. n. 10.* adhuc tamen DD. reservecbant, quòd hæc consuetudo procedit in illis Patronatibus hæreditariis, ad cujus successionem concurrunt plures hæredes inæqualiter instituti; isti enim vigore consuetudinis,

tantam partem habere debent in Jurepatronatus, quantam partem habent in ipsa hereditate; itaut ipsorum quota, & portio in jure presentandi mensuram recipiat à quota, & portione hereditatis. Talis autem consuetudo redditur inapplicabilis casui presenti, in quo cum Patroni alio modo presentare non possint, quam in stirpes, quia æquale est illorum jus in presentando vigore consuetudinis, non potest habere plus unus, quam alius, ut ad casum ponderat *Card. de Luc. de jurep. disc. 61. n. 4. cum seqq. & Vivian. eod. tract. lib. 4. cap. 1. n. 56. pariter cum seqq.*

Cæterum deveniendo etiam ad numerationem vocum in quolibet stipite, sex ex istis incontrovertibiliter numerabantur pro Carmino; quo verò ad alios duos DD. ponderabant, quòd stipes illorum de Pistillis erat pariter integre computandus pro Carmino; nam ex tribus, qui presentarunt de anno 1633. descendentes duorum modò presentarunt Carminum; alter verò defecit, & ultimus ex illo descendens erexit Cappellaniam, & nominavit Cappellanos; Cumque isti, qui successerunt in tota hereditate pariter adhererint presentationi Carmini, attendi non debet in concursu heredum presentatio facta ab Executore Testamentario; Et quoad stipitem illorum de Deo recognoverunt, quòd illo subdiviso in duas voces, una presentavit Carminum, & alia Sabbatinum; unde in casu hujus discordiæ putarunt, quòd sepositis his vocibus inter se discordantibus, totum jus presentandi consolidatum fuerit in aliis Compatronis, qui juxta pluralitatem suffragiorum unanimiter collimarunt in personam Carmini, ut bene exemplificat *Ripa in l. re conjuncti 89. sub n. 234. ff. de legat. 3. Lambertini. de jurepatr. lib. 2. par. 2. q. 2. art. 19. Bellon. de jur. accresc. cap. 6. q. 48. n. 28. Card. de Luc. de jurepat. disc. 61. num. 16. & Rot. coram Emerix jun. decis. 1254. n. 3.*

Et ita utraque Parte informante resolutum fuit &c.

ARGUMENTUM.

Gratia dispensationis obtenta à Presentato inhabili à majori parte Patronorum absque expressione Compræsentati à minori parte habilis; an sit subreptitia?

SUMMARIUM.

- 1 Taciturnitas veri malitiosa, ac dolosa vitiat Gratiam, & Rescriptum.
- 2 Taciturnitas veri etiam ex ignorantia, proveniens, quò sit inductiva Gratiæ, causat subreptionem.
- 3 Sacra Congregatio Concilii denegare solet Presentatis inhabilibus dispensationes super inhabilitate, concurrentibus aliis Presentatis habilibus.
- 4 Minori parti Patronorum habilem presentanti consolidatur totum jus majoris partis inhabilem Presentantis.
- 5 Gratia dispensationis obtenta à Presentato inhabili à majori parte Patronorum absque expressione Compræsentati à minori parte habilis, non est subreptitia.
- 6 In dispensatione Apostolica est faciendamentio juris certi alterius, non verò juris incerti, & mendæ eventualis.
- 7 Presentatus à minori parte impedire non potest, quòd Presentatus à majori parte capacitatem consequatur intrà terminum juris.
- 7 Præjudicium quando dicatur esse?
- 9 Non quacumque veritas est in supplicatione Apostolica exprimenda.

CASUS VI.

Competebat Juspatronatus ad Beneficium pluribus Personis utriusque singulis, quarum duæ Partes vacante eodem Beneficio presentarunt ad illud Titium inhabilem non habentem ex. gr. sufficientem ætatem sub conditione capacitatis, Tertia verò Cajum habilem. Hinc Titius obtinuit dispensationem super defectu ætatis intrà terminum juris, absque expressione, quòd Cajus presentatus à minori parte erat habilis. Quæritur in hoc casu, An Gratia dispensationis obtenta à Titio presentato à majori parte Patronorum sit subreptitia?

In hac quæstione respondendum videtur affirmativè. Titius namque incapax obtinendi Beneficium ob defectum ex. gr. ætatis, & presentatus à majori parte Patronorum sub conditione capacitatis obtinuit gratiam dispensationis super dicto defectu, tacendo, & occultando Summo Pontifici concursum, seu præexistentiam alterius compræsentati à minori parte habilis, & quidem malitiosè, ac dolosè

ne